



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii**

**Afhakker, Aegidius**

**Vrsellis, 1618**

Capvt VIII. De Soliditate Praecipvorum Ecclesiae Catholicæ dogmatum ex  
Scriptura sacra.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

est vacillare homines istos de suę fidei veritate, qui nullā omnino rationē, nullū testimonium, nullam successionem in opinionum suarum fauorem possunt excogitare? Verum ut omnis illis prorsus gloriandi in verbo Dei materies amputetur, paucis præcipua Catholice Ecclesię dogmata quę contra scripturā pugnare simplicioribus ipsi indies nituntur persuadere, hic ad sacrę scriprurę normam reuocemus.

## CAPVT VIII.

DE SOLIDITATE PRÆCIPVORUM Ecclesię Catholica dogmatum ex  
*Scriptura sacra*

Ræcipua quę aduersarij nostri in nobis calumniari solent, sunt hæc: *Potestas post Christum suprema in Ecclesia militantis regimine*, quā nos Rom. Pont. conuenire dicimus: *Meritum bonorum operū, Cultus imaginum, Inuocatio Sanctorum, Numerus Sacramentorū & Sacrificiū Missæ*. De potestate Pontificis hactenus pro instituti nostri ratione satis diximus, & procul dubio solidius eam probauimus, quam omnes aduersarij eam ex scriptura infringere possint. De Merito bonorum operū vide quę diximus in fine secundę partis. Vnde facile patebit hostilem esse calumniam vel ignorantiam crassam CATHOLICÆ doctrinæ, cum aduersarii contra nos insurgunt, tanquam si nostris meritis

cruci Christi iniuriam irrogemus, ac viribus nostris cōfisi Christo Domino neglecto, beatitudinem mercari cupiamus. Nihilominus vt magis pateat quam firmiter hæc catholica veritas in Scripturis sacris fundetur, adhuc quædam testimonia proferemus. Primum quidem, Dominum nobiscum pactum seu fœdus inijsse, vt pro nostris operibus per suam gratiam factis daret nobis gloriam perpetuã, patet ex parabola patris familias Matt. 20. qui conduxit operarios pro denario, item ex illo Apo. 2. 10. *Esto fidelis & dabo tibi coronã vitæ*: & alijs similibus locis. Deinde hoc fœdere stãte, nos verè à Deo mereri patet prouerb. 11. v. 18. *seminanti iustitiam merces fidelis*. Nam merces & meritum sunt relata, nec esse merces potest vbi non fuit meritum. Per hoc enim merces differt à Dono, quod Donum nõ præsupponat meritum sicut merces. Sic Matth. 10. vers. 42. *Quicumq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aqua frigida; tamẽ dico vobis, non perdet mercedem suam*. 1. Corinth. 9. vers. 17. *Simplens euangelizauero, mercedem habeo*. Item 1. Cor. 3. 14. *Si cuius opus manserit quod super adificauit, mercedem accipiet*. Apoc. 22. 12. *Ecce venio & merces mea mecum est, reddere vnicuique iuxta opera eius*. Ecclesiast. 16. vers. 15. *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundũ meritum operum suorum*. Hinc ergo est quod frequenter vitam

æternam Apostolus Paulus dicat nobis ex iu-  
 stitia deberi pro operibus bonis, & Deum  
 eam nobis daturum vt iustitiæ coronam &  
 præmium laboris & brauium certaminis. vt 2.  
 Corinth. 4. 17. *id quod in presenti est momentane-  
 um, & leue tribulationis nostræ supra modũ in sub-  
 limitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis*  
 2. Timoth. 4. ver. 8. *Bonum certamen certau-  
 cursũ consummaui, fidem seruauit in reliquo reposita  
 est mihi corona iustitiæ, quæ reddet mihi Dominus in  
 illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed &  
 ijs qui diligunt aduentum eius.* Hebr. 6. 10. *Non  
 enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri  
 & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius qui  
 ministrastis sanctis & ministratis.* 1. Corinth.  
 9. 24. *Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes  
 quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic cur-  
 rite vt comprehendatis.* Hinc iterum dicimur  
 nonnunquam Digni vita æterna: vt 2. Thess. 1.  
 v. 4. 5. & 6. *ita vt nos ipsi in vobis gloriemur in Ec-  
 clesiis Dei pro patientia vestra & fide; & in omni-  
 bus persecutionibus vestris & tribulationibus quas  
 sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei vt digni  
 habeamini regno Dei, pro quo & patimini, si tamen  
 iustum est apud Deum retribuere tribulationem  
 ijs qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini, re-  
 quietem nobiscum, &c.* Apoc. 3. 4. *Habes pauca no-  
 mina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta  
 sua: & ambulabunt mecum in albis quia digni sunt.*

Similiter de sententia iudicis ferenda secundum meritum operum. Matth. 16. vers. 27. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Romanorum 2. 6. in d*iv*ina reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius: ijs quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quaerunt; vitam aeternam: ijs autem qui sunt ex contentione, &c. 2 Corinth. 5. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.*

Quid iam gannunt haeretici de sententia sacrae scripturae? Quid dicunt catholici aliud quam quod his alijsque (quae omitto) pluribus scripturae locis dixit Spiritus Sanctus? An ergo Spiritus Sanctus non sciuit quidnam esset merito Christi detrahere? Erone censendus autem qui negauerit necessitatem communionis sub vtraque specie colligi ex illis verbis Christi: *bibite ex hoc omnes* & non erit ista censura dignus qui meritum & valorem bonorum operum his testimonijs asseri negarit?

Sed confiditis (gannunt) in operibus vestris bonis. Imo vero, inquam, confidimus: & ideo non confidunt in ijs haeretici, quia nulla

nulla bona opera habent. Nos autem idem Spiritus sanctus docuit, veram & solidam confidentiam haberi nisi ex bonis operibus, nullo modo posse, hæreticorum autem confidentiam, quæ vni & soli fidei innititur stultam esse insaniam, quæ ita vt experientia docet, Ecclesiam Dei & quascunque inuaserit prouincias, deformat. Videatur Tobix 4. ver. 12. *Fiducia magna erit coram summo Deo, elemosyna, omnibus facientibus eam.* Psalm. 131. *Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius.* Sic ipse Dauid confidebat in suæ patientiæ seu mansuetudinis exercitio. Similiter Ezechias 4. Reg. 20. cum Vaticinium de sua morte accepisset, sic orat: *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim.* Hebr. 10. 34. & 35. *Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: nolite itaque amittere confidentiam vestram, qua magnam habet remunerationem.* 1. Ioan. 3. 21. *Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

At, inquiunt: *maledictus homo quæ confidit in homine, & qui ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* Nouimus & nos hoc esse verissimum, imo pueri nostri cū primis

primis fidei rudimentis discunt. Quid ergo  
 Confidet etiam quilibet infidelis & enormis  
 peccator, se, dum sic viuit, à Deo diligi & ad  
 vitam aeternam prædestinatum esse? Confidet  
 idem hoc isti quos Apostolus Petrus, epist. 2.  
 cap. 2. vocat *magistros mendaces, audaces, sibi pla-*  
*centes, sectas non metuentes introducere blasphemantes,*  
*qui post carnem in concupiscentia immu-*  
*ditia ambulant?* illi, inquam, qui, docentes le-  
 gem Dei obseruatu esse impossibilem, dixe-  
 runt: *Desperauimus: post cogitationes enim nostras*  
*ibimus & vnusquisque prauitatem cordis sui mali-*  
*faciemus* Ier. 18. 12. & *Doctores super omnes Do-*  
*ctores à nobis ipsis creati, docebimus populum, vt*  
*tantum credant sibi per Christum remissa esse pec-*  
*cata, ne se nimium onerent operibus bonis, hac adeo*  
*nihil prodesse vt sint etiam peccata coram Dei o-*  
*culis aeterna damnatione digna, nisi per vnam solam*  
*fidem credantur esse remissa?* Itane? Huiusmodi  
 etiam quam diu tales manent, fiduciam habe-  
 re debebunt vel poterunt de præsentis gratia  
 & futura gloria à Deo sibi donata? Hoc est  
 quod negamus. Veram autem fiduciam ita  
 scimus & docemus ex I. Tim. 3. 13. *Qui bene-*  
*ministrauerint, gradum bonum sibi acquirunt & multi-*  
*tam fiduciam in fide qua est in Christo Iesu & a*  
 Pet. 1. 5. & seq. *Vos autem curam omnem subin-*  
*ferentes ministrare in fide vestra virtutem, in vir-*  
*tute autem scientiam, in scientia autem abstinen-*  
 tiam

*tiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hac enim si vobiscum adsint & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione. Cui enim non præstunt hæc, cæcus est & manu tentans obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter fratres magis sat agite vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.*

Hæc ergo sunt quæ docent cum Apostolis catholici; interim bene docti, istiusmodi operum ne initium quidem ex solis naturæ viribus nos præstare posse, sed necessariam ad ea præstanda, esse gratiam Dei, quam Christus Dominus solus & nemo alius nobis promeruit, adeoque peccatorem iustificari nullo modo posse, nisi purè gratuito Diuinæ istius gratiæ dono. Hanc quoque iustificantem gratiam non esse præcise solam fidem sic docet S. Iacob. c. 2. 20. *Vis autem scire ô homo inanis quoniã fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est? &c. & S. Paul. I. Cor. 13. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam charitatem autem non habuero, nihil sum. Vnde quod aliàs dicit idem Apostolus hominem iustificari ex fide sine operibus legis, loquitur de operibus præcedentibus iustificationem,*

tionem,



tionem, ex sola legis cognitione naturæ vi-  
 rib. factis; opera autem, vel saltem voluntate  
 operandi, hoc est, promptitudinem ad obe-  
 diendum omnibus præceptis Diuinis, à fide  
 iustificante nullatenus excludit. Sic enim se-  
 ipsum explicat ad Gal. 5. v. 6. *Nam in Christo Ie-  
 su neque circumcisio aliquid valet neque preputium,  
 sed fides qua per charitatem operatur.* Ex quibus  
 satis apparet; catholicos nec carni & sanguini,  
 hoc est, solis liberi arbitrij viribus confidere,  
 nec merito Christi Domini iniuriam irrogare.  
 Et tamen hoc vnum est quod pertinacissime  
 aduersarij nobis adscribunt, adeo vt sola do-  
 ctrina de bonorum operum meritis, dicant, à  
 nobis fundamentum Christianæ religionis ef-  
 se euersum: ita vt Prædicætes Neomagenes in  
 suo nuperrimè edito Alloquio ad suos fratres  
 separatos pag. 5. etiam nū non vereantur ita lo-  
 qui: *Petrus Martyr significat quidnam attendi te-  
 beat priusquam ad secessionem aut schisma ve-  
 niendum sit, vbi nostra à moderna Ecclesia Roma-  
 na secessionis causam fuisse ait, quod ipsa prius  
 defecerit ab Apostolorum doctrina, qua summam  
 in eo consistit: peccatorum scilicet, remissionem  
 Deo per Christum ex gratia donari credentibus,  
 imnesque homines solum per fidem absque operibus  
 iustificari.* Hoc modo declarans schisma factum  
 (Reformatores) non fuisse, si hæc doctrina inui-  
 lat a persisteret. Ita nimirum magistri mandantes  
 tot animas Christi sanguine redemptas tam  
 impie

impie seducunt, & ab ouili eius rapaces lupi diripiunt, quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Qui velut irrationalia pecora naturaliter in captionem & in perniciem, in his qua ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt. 2. Petr. 2. 3. & 12.

De cultu sacrarum imaginum breuiter sic expedio: Colere per imaginem eum qui cultu vel honore dignus est, non est contra legem naturæ, nec est in noua lege à Christo vel Apostolis prohibitum, ergo est licitum. Prior pars Antecedentis patet quotidiana praxi apud omnes nationes. Honorantur enim principes in statuis, in imaginibus, in sigillis, &c. Quod autè aduersarij dicunt esse contra legem naturæ si cultus sit religiosus, nugatur, & probare non possunt. Quin expresse Deus voluit religiosè coli per arcam veteris testamenti. Et Iosue cap. 7. 6. *pronus cecidit in terram coram arca Domini vsque ad vesperum, tam ipse quam omnes senes Israel, & de propitiatorio seu operculo Arcae dicit Dauid psal. 98. v. 5. adorete scabellum pedum eius* Siue (vt est in hebræo) *incuruate vos scabello pedum eius*: Quid autem erat arca, nisi lignum representans thronum Dei? Et nostri aduersarii qui in cœna sua panem accipiunt, numquid eundem panem cum religioso cultu tractant & per eum Christi corpus se accipere dicunt?

Quod

1. Cor 10.  
16. Et cap.  
11. 24. Et  
27.

Quod quid est aliud quam Christum in figuram honorare, præsertim cum cogantur de eodem pane ex Scriptura dicere: *hoc est Corpus Christi*, & fractionem eius esse participationem corporis Christi & si inhonoretur iste panis indigna sumptione, admitti reatum violati corporis Domini. Quid enim est aliquem per figuram, aut imaginem religiose colere, si hoc non sit? nisi forte Eucharistia non sit tantum figura, sed & vere ipsum Christi corpus. Similiter de sacris literis vide *sup. cap. 5.* Deinde, Christus Matt. 5. 35. prohibet iuramenta per cælum, quia thronus Dei est; per terram, quia scabellum pedum eius, per Ierosolymã, quia est ciuitas magni regis; Quorsum autem hoc præceptum? nisi quia irreuerentia per minus legitimum iuramentum rebus istis illata, redundat in irreuerentiam Dei; sicuti percussa sunt Bethsamitæ ob irreuerentiam erga Arcam Domini commissam 1. Reg. 6. 19. Per quæ autem quis inhonoratur per eadem etiam potest imo debet honorari. Altera pars antecedentis patet per se: nusquam enim in toto nouo testamento vel imagines vel earum cultus prohibetur. Porro consequentia fundatur in Christiana libertate, quam aduersarii magni faciunt. Præcepta enim Iudæis data nos non obligant, nisi quatenus sunt legis naturæ; alioquin etiam cum Iudæis oporteret nos diem sabbati sanctificare, quod nõ minus inter præcepta

cepta decalogi iubetur, quam illud de non faciendis imaginibus. Si tamen Iudæis absolute omnium imaginum vsus fuerit eo præcepto prohibitus & non potius idolorum erectio. Quod porro ad periculum idololatriæ attinet, ne scilicet ipsæ imagines Christi absoluto cultu pro Dijs adorentur, fictitium est. Nam licet olim Iudæi fuerint propensi admodum ad idololatriam, vt propterea vtile fuerit omnè imaginum vsum ipsis prohiberi: illud tamen periculum beneficio incarnationis Verbi sublatum est, demonum oraculis toto orbe silentibus. Quare videmus nec ipsos Iudæos (qui in deserto paucis diebus absente Moysè, vitulum sibi conflauerant) nunc tot sæculis ad idololatriam relabi.

Imo solent aduersarij nostri; cum à nobis audiunt, nos non ipsas imagines vt res quædã sunt arte factæ, sed personas in imaginibus repræsentatas venerari; solent, inquam, dicere sibi non videri credibile, veteres idololatrias in scriptura toties taxatos ipsa arte facta pro Dijs coluisse sed alium quem per ea sibi putabant repræsentari. Si non credant vnquam tã insanos fuisse homines, quid habent causæ cur nunc timeant tales fore? Docuit quoque experientia, maius esse periculum per imaginum sublationem eruendæ ex multorum hominum cordibus memoriæ dominicæ passionis. Visi enim sunt è partibus hæreticis ad solû catholicum

licum appropinquantes & cruci fixi imaginem  
in publica via conspicientes admirabuntur  
quæsiuissent, quid hoc signum sibi vellet: ac  
passione Domini nihil omnino notum habu-  
issent. Hinc apparet quam inepte Teelingius  
c. 19. lect. 4. ex duobus locis antiqui testam-  
enti altero Is. 40. altero Deut. 4. 15. & 16. con-  
tendit probare catholicos, dum docent licitum  
esse humana forma Deum pingere aut repræ-  
sentare, contumaciter contra sacras literas scri-  
bere & censendos *αὐτοχτάπιτος* Aperte enim  
ex textu sacro & iam dictis apparet, illa testi-  
monia contra catholicorum doctrinam nihil  
omnino facere. Nam alioqui nullas omnino  
oporteret nos habere imagines, cum primo  
loco omnium rerum imagines prohibeantur  
Iudæis. Quis autem est aduersariorum  
vel in domo vel in crumena nullas habere  
imagines?

*Inuocatio  
Sanctorum*

De Inuocatione Sanctorum sic proceditur  
Non est contra dignitatem vnici mediatoris  
Christi, nec contra rationem, nec contra  
potius, secundum scripturam: ergo est licita.  
Prima pars patet ex eo, quod si intercessio  
Sanctorum argueret insufficientiam intercessio-  
nis Christi, ergo nec in hac vita vnus habere  
posset pro altero apud Deum posset in-  
tercedere, ne præter CHRISTUM  
alius, isque ipse adhuc infirmitate carnis

quotidianis defectibus circumdatus; mediator accederet. Sed hoc nō derogat mediationi Christi, vt patet ex Apostolo Eph. 6. 18. *Vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis & pro me; vt detur mihi sermo, &c.* Coloss. 4. 2. *Orantes simul & pro nobis vt Deus aperiat nobis ostium sermonis.* Similiter 1. Thess. 5. 25 2. Thess. 3. 1. 1. Tim. 2. 1. &c. Secunda pars patet: Quia Sancti in cælo tanquam membra corporis Christi gerunt curam nostri tanquam fratrum. Quod autem aduersarij dicūt Sanctos ob beatitudinis plenitudinem omnē nostri curam amittere, falsum esse conuincitur ex eo quod Angeli custodes, licet semper videant faciem Patris, tamen cum Zelo gerāt curam suorum paruulorum, vt patet Matth. 18. 10. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Similiter quod aduersarij blasphemē nonnunquam quærant, an Sancti habeant aures à cælo in terram promissas, vt audire preces nostras possint, ex crasso & animali stupore, quo hoc hominum genus dextrè sopitum non percipit *quæ sunt spiritus Dei*, originem habet. Sancti enim perpau-  
 ci modo cum suis corporibus sunt in cælo, adeoque plerique nec aures nec oculos corporeos habent, dicant ergo nostri

1. Cor. 21  
 14. Iuda  
 19.

D d 2

stri

stri aduersarij, an etiam se mutuo vel Christum Dominum videre aut audire possint. Dicant quoque quonam modo angeli se mutuo apud Daniele, in Apocalypsi & alijs as communiter loqui soleant, cum auribus & lingua prorsus sint destituti. Datur ergo inter beatos locutio spiritualis, quæ in voluntatis conceptu intimatione consistens nullis hominum distantijs impediri potest. Præterea perfectionem beatitudinis pertinet, ut Sanctis suis etiam Deus reuelet quicquid ipsorum scire aliquo modo interest. Interest autem ipsorum non parum, ut cognoscant suorum fratrum & fidelium amicorum in periculoso huius mundi pelago laborantium conditionem & statum; vnde planè credibile est Deum ipsis adhuc plura reuelare, quam per alloquia nostra intelligunt. Ex Scripturis denique quod Sancti pro nobis orent, probatur & primum quidem de Angelis, Zachariae vers. 12. *Et respondit Angelus Domini & dixit Domine exercituum, vsquequo tu non misereris iherusalem & urbem iuda quibus iratus es? septuagesimus annus est.* Hæc manifestissima oratio: ad quam ibidem Dominus respondit *verba bona, verba consolatoria.* Si Angeli ita nostras curent, cur nobis non liceat sicut alijs hominibus adhuc mortalibus, ita etiam ab ipsis Angelis huiusmodi orationes dicere? Numquid. n. omnes Angeli sunt ad nos

stratorij Spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis Hebr. I. v. 14. Et quomodo melius salutem nostram promoveri possunt, quam si, præter id quod ordinariè ipsis non minus in bonum, quam diabolis in malum nostrum à Deo permittitur, etiam hoc faciant de quo Apoc. 8: 3. *Et alius Angelus venit & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum Dei: & ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Quod si cui ænigma videatur, legat eius explicationem Tob. 12. 12. ubi angelus Raphael dicit Tobia: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Hinc ita concludo: Quod Angeli pro salute nostra licite possunt & volunt facere, hoc licet ab illis ut faciant, petere; sed nostras orationes licite possunt & volunt Deo offerre pro salute nostra, ergo ut hoc faciant, licet nobis petere. Hinc de cæteris Sanctis primum argumentum est à simili. Quod licet petere ab Angelis, etiam licet à cæteris sanctis, qui sunt sicut Angeli Dei in celo, Matth. 22. 30. Deinde Apocalyp. 5. 8. etiam de quatuor animalibus & 24. senioribus idem dicitur quod antea de Angelo ex cap. 8.



citauimus. Terrio: 2. Machab. decimo quinto  
 versu 14. expresse in visione Machabæi de pro-  
 pheta Ieremia iam diu defuncto dicitur: *Hic  
 est fratrum amator & populi Israel: hic est qui mul-  
 tum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate, Ie-  
 remias Propheta Dei.* & versu. 12. idem qui hoc  
 Iudæ referebat Onias scilicet, qui in vita sua  
 fuerat summus sacerdos visus est *manus proten-  
 dere & orare pro omni populo Iudaorum.*

Si dicant aduersarij librum illum non esse  
 recensendum inter libros sacros, probent ipsi  
 Euangelium Sancti Matthæi, epistolas Iaco-  
 bi & Ioannis esse scripturas sacras? & seruiet  
 nobis idem argumentum pro libris Macha-  
 bæorum. Pro bent autem suam partem ex  
 verbo Dei si possint? Si verò non possunt ex  
 verbo Dei scripto, discant id ex verbo Dei  
 per manus in Ecclesia tradito. Licet enim de  
 quibusdam libris quidam aliquando, num sa-  
 cri essent, dubitauerint, est tamen postea Ec-  
 clesiæ iudicio lis hæc terminata: & Macha-  
 bæorum quidem duo libri in Concilio Ce-  
 thaginensi cui interfuit S. Augustinus pro-  
 cri agniti. Vnde & ipse Augustinus *libro de  
 ra pro mortuis cap. 1.* hunc eundem librum  
 ex eo testimoniū *capitis duodecimi vers. 43. &  
 seq.* tanquam diuinam scripturam citat. Hæc  
 nos pro nobis. Quid habent aduersarij, ve-  
 de nos *αὐτοκατακριτῶν* condemnent? Vnum  
 locum

locum Isaiaë 63. 16. *Tu enim pater noster & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos.* Sed quis non videat hunc locum commodissime intelligi posse ex illo Matth. 25. 12. *Amen dico vobis, nescio vos.* Scilicet pro meis amicis vel filijs. Non enim dicit Propheta: *Abraham non scit DE NOBIS, sed nesciuit NOS.* Quod idem Pharisæis significauit Christus Ioan. 8. 40. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem queritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo: Hoc Abraham non fecit. Quid ergo mirum si Abraham tales nesciat, hoc est, neget esse suos filios?*

His cōuicti aduersarij, ne prorsus taceāt, solēt dicere, melius esse immediatè ad Deū ipsum accedere, præsertim cū Deus nō sit, sicut principes huius mundi, superbus & ita pomposus vt nisi digniores suos amicos audire neminem velit. His occurritur ex Luc. 7. versu 6. & 7. *Cum iam (Iesus) non longè esset à domo, misit ad eū Centurio amicos dicens: Domine noli vexari, non enim sum dignus vt sub tectum meum intres: propter quod & memetipsum non sum dignum arbitratus vt venirem ad te, sed dic verbo, &c.* Hæc ille. Quid autem mitis & humilis corde Dominus: Numquid ægrè hæc tulit tanquam non satis congrua suæ mansuetudini? Sequitur v. 9. *Quo audito, Iesus miratus est & conuersus sequentibus se turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tan-*

tam fidem inueni. Quid ergo somniant nostri aduersarij de superbia per humiliationem nostram Deo intentata? Equidem si prob e ipsi & vilitatem propriam & maiestatem Dei perspectam haberent, aliter loquerentur & agerent.

Ad Sacramenta quod attinet, æque solide nos ex scripturis probamus esse septem quam aduersarij, esse vnum, vel duo, vel tria, &c. Sacramenti enim nec nomen nec definitio in sensu nunc in hac disputatione visitato vsquam in scripturis vlli rei tribuitur nisi forte Matrimonio Ephes. 5. 23. Res autem ipsa quam sacramentum dicimus, habetur in scriptura septem differentijs distincta. Rem enim hanc Catholici definiunt per *signum visibile inuisibile nosq; ad vel per illud signum sanctificantis gratia*. Quæ definitio si aduersarijs non placeat, ponant ex scriptura, si possint, meliorem. Porro hanc definitionem conuenire Baptismo & Eucharistiæ non est dubium. Per Baptismum enim abluuntur peccata. Act. 22. 16. *baptizate & abluere peccata tua*. Per Eucharistiam autem unimur & coniungimur Christo. Hæc autem sine sanctificante gratia fieri non possunt. Plura de Eucharistia vide infra. Porro conuenire etiam *Confirmationi* qua per impositionem manus episcopi & vntionem Christi roborantur in professione suæ fidei, patet Act. 8. 12. vbi Samaritæ iam baptizati per

Sacramē.  
in septē.

Confir-  
matō.

impositionem manuum accipiunt Spiritū. S. & cap. 19.2. Paulus rogat quosdam an acceperint Spiritum S. putans tamen eos fuisse legitime baptizatos. ex quibus locis satis apparet, præceptum à Domino habuisse Apostolos, vt omnibus per impositionem manuum conferrent Spiritum S. Impositio autem manus est signum visibile, per Spiritum S. vero intelligitur gratia sanctificans plurimis scripturæ locis vt Luc. 1.15. de sanctificatione Ioannis: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris sue, &c.* Si quærant aduersarij vnde habeamus, Chrisma adhibendum esse; Respondeo hoc nos inde habere, vnde ipsi Euāgelium. S. Matthæi aliosque S. scripturæ libros habent.

De remissione peccatorum per absolutio-  
nem Sacerdotis, res non minus est clara quam  
de baptismo. Sicut enim Matth. vlt. dixit Do-  
minus: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizan-  
tes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* ita  
Ioan. 20.22. *insufflauit & dixit: Apostolis: Acci-  
pite Spiritum S. quorū remiseritis peccata, remit-  
tantur eis, & quorū retinueritis retenta sunt.* Et si-  
cut ex priori loco colligitur, baptizantem de-  
bere vti hac forma: *Ego te baptizo in nomine, &c.*  
ita ex posteriori colligitur, sacerdotem dum  
peccata remittit, debere vti hac: *Ego authorita-  
tem mihi à Deo concessa remitto tibi peccata  
tua vel, te absoluo ab omnibus peccatis tuis,*  
&c. Certum autem est remissionem pec-  
catorum

*Pœnitentia.*

D d 5

catorum

catorum absque gratiæ sanctificantis infusione fieri non posse, vel ex illo Rom. 5. 5. *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum qui datus est nobis.* Hanc gratiam satis clare significant verba sacerdotis absoluentis & confessio pœnitentis. ergo habemus clarissimè in Scriptura hoc sacramentum quod Calvinistæ omnes fatentur apud se non esse; & quod pessimè oderunt. Porro contra Lutheranos putantes in pœnitente non requiri; nisi vt generaliter fateatur se peccatorem, in particulari nullos actus suos referendo; stat æque clarè praxis Apostolica Actor. 19. 18. *Multique credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos.* vbi & in græco pro *confitentes* ἐξομολογῶντες est. vnde hoc sacramentum græcis vocatur. ἐξομολογησις. De extrema vnctione vide quæ diximus contra Venatorem part. 3. cap. 3.

*Ordo,*

De sacra ministrorum Ecclesiæ ordinatione quod sit Sacramentum patet: quia Apostoli eam perfecerunt per impositionem manuum, quæ est visibile signum collationis alicuius spiritualis potestatis. Quod porro cum collatione huius potestatis simul detur gratia sanctificans patet 2. Tim. 1. 6. *Propter quam causam dico moneo te vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ex his ergo manifestè patet tam quod ministrorum Ecclesiæ ordinatio sit sacramentum, quam quod apud

aduersarios nostros non sit Ecclesie ministerium à Christo institutum; & ab Apostolis usurpatum.

Matrimonium significat vnionem Christi *Matrimonium.* per amorem cum Ecclesia *Ephes. 5.* Ad hoc autem ritè significandum requiritur in coniugibus *fides & dilectio & sanctificatio cum sobrietate* *I. Tim. 2. 15.* præsertim cum in noua lege sublata sit polygamia & repudium.

Nunc de sacrificio mystico noui testamenti ita rem clarissimè ex scriptura deducimus: Christus Dominus in vltima cœna semetipsum mysticè, id est, sub figura seu specie panis & vini pro peccatis nostris obtulit, idemque Apostolis vt facerent potestatem dedit. ergo Missæ sacrificium ipse primus peregit & instituit. Antecedens, quo ad oblationem, patet ex eo quod corpus suum separatim à sanguine, & sanguinè separatim à corpore pro remissione nostrorum peccatorū patri exhibuit, id est, quod se pro peccatis nostris occisū patri præsentauit. Nā sicut externa occisio Christi fuit externum, & visibile sacrificium; ita mystica mors Christi est sacrificiū mysticū. Et sicut de morte externa crucis habemus *Isa. 53. 7. Oblatus est quia ipse voluit.* ita *Pf. 109. de Christo dicitur tu es sacerdos in æternum secundū ordinem Melchisedech,* id est, offeres sacrificium eo modo & ritu quo Melchisedech obtulit. Colligitur autem *Gen. 14. 18. Melchisedech obtulisse panem*

nem

nem & vinum, ergo Christus debet obtulisse aliquod sacrificium per illam oblationem clarius præfiguratum, quam sit crucis cruentum sacrificium. Hoc enim melius est figuratum per cruenta sacrificia Aaronici sacerdotij adeoque ob sacrificium crucis potius Christus dicendus esset sacerdos secundum ordinem Aaronis, quam secundum ordinem Melchisedech. Secundo, Malachiæ 1. 10. vbi Dominus prædicit reprobationem Iudæorum & abrogationem sacerdotij Aaronici, dicens: *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra*, statim adiungit: *Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*: vbi in Hebræo sicut pro voce *munus* ita etiam pro voce *oblatio* ponitur hebraicè *מִנְחָה* *mincha*, quod significat oblationem ex farina, vt patet manifestè Leuit. 2. 1. ergo prædicitur hic oblatio aliqua futura inter gentes ex pane, quoad substantiam scilicet mutato, quo ad speciem autem seu accidentia permanente. Tertio, Act. 13. 2. Habemus de Apostolis: *ministrantibus illis Domino & ieiunantibus*, vbi in græco est *λατρεύοντων ἑαυτῶν τῷ κυρίῳ* significat autem *λατρεύειν* publicum ministerium obire, quod cum hic dicatur factum Domino & non populo, patet fuisse tale ministerium quod in Ecclesia Græca hactenus inde dicitur *λατρεῖν* idem

idem scilicet quod nos Missam dicimus. Quarto: Isa. 19. vers. 19. & 20. item cap. 56. v. 7 & 61 v. 6. & 66. v. 21. Ieremiæ quoque 33. vers. 16. & seq. prædicitur expresse, in noua lege futura altaria, sacerdotes quoque & Leuitas selectos à reliqua fidelium turba, vt offerant Deo hostias gratissimas. Quinto; Danielis 12. 11. prædicitur Antichristus in fine mundi ablaturus iuge sacrificium. Quodnam illud sacrificium? An forte spirituale, id est, orationes & vota sanctorum? Sed illa auferri nullo modo per Antichristum poterunt. Manebunt enim saltem aliqui fideles isto tempore fugientes per deserta loca Apoc. 12. 14. qui, quanto persecutio erit sæuior, tanto procul dubio ardentioribus votis Domino supplicabunt. Si dicas sacrificium illud esse prædicationem Verbi diuini, conuincitur hoc esse falsum, tum quia nusquam in scriptura prædicatione vocatur sacrificium, tum quia hæc fit populo; est autem idololatria alicui sacrificare præterquã Deo soli, vt patet ex ratione sacrificij. Denique 1. Corinth. 10. 20 prohibens Apostolus ne fideles participant de immolatis gentilium, opponit mensam, id est, altare idololatrarum mensa Domini, aitque: *non potestis mensa Domini participes esse & mensa Damoniorum.* ergo sicut illi fiebant participes dæmoniorum, qui demonibus oblata comedebant, sic participes fiebant mensæ Domini, qui comedebant oblata

lata



lata Domino. Ista autem oblatio non est  
 alia quam corporis & sanguinis Domini, de  
 qua agit Apostolus ibidem. Iam vero quod  
 ad rem oblatam attinet; eam vere in vltima  
 Domini cœna fuisse ipsum eiusdem corpus  
 & sanguinem, tam clare patet ex historia à  
 Matth. cap. 26. 26. Marco 14. 22. Luca 22. 19.  
 & Paulo. 1. Corinth. II. 24. descripta; vt mi-  
 rum sit, audere hæreticos mentionem facere  
 conuictionis euidentis ex sacra scriptura pos-  
 sibilis. Quid enim habent contra hæc testi-  
 monia, quod nos cogat ad sensum metapho-  
 ricum confugere præter animales qualdam  
 ratiunculas, quibus probant partim huius-  
 modi panis transmutationem esse Deo im-  
 possibilem, in quo blasphemant Dei omni-  
 potentiam, & simul sacrilege credere nolunt  
 quod dicitur Ioan. 20. 19. *Cum ergo esset sero  
 die illo, vna sabbatorum, & fores essent clausæ ubi  
 erant discipuli congregati propter metum Iuda-  
 rum, venit Iesus & stetit in medio eorum.* & ite-  
 rum vers. 26. *Venit Iesus ianuis clausis & stetit  
 in medio.* Volunt enim hi Euangelici minime  
 Iesum clauso ostio non potuisse intrare ad  
 discipulos, ideoque prius aperuisse illud: con-  
 ius tamen ex litera contrarium apparet præ-  
 sertim cum Luc. c. 24. 36. dicat Dominum  
 tam subito in medio Apostolorum collo-  
 quentium de eius resurrectione, *eamque fa-*  
 & con-

Etiam iam credentium steterit, ut conturbati & conterriti, non ob aduentum, sed ob præsentiam seu assistentiam in medio suorum putauerint se spiritum videre. Certè si diuina mysteria humana ratione curiose diiudicanda sunt, quis SS. Trinitatis mysterium credere poterit, quod ut multò est intellectu difficilius, ita tot aut tam claris testimonijs non faciliè ex sacris literis probabitur. Quare & multis sæculis ante Sacramentarios extiterè in Oriente Antitrinitarij hæretici. Nec minus probabiliter videmus Arianos quondam Catholicorum argumenta pro SS. Trinitate ex scriptura prolata dissoluisse, quam sacramentarij vnquam fecerint in sua causa. Similiter quod partim arguant ex inconuenientia & rei indignitate, etiam est animalis ratio, quali quondam Arrius vsus dixit se bicubitalem Deum non agnoscere. Et quis non plura inconuenientia excogitet circa Dei Incarnationem in vtero B. Virginis, item circa passionem & mortem eiusdem, quam circa manducationem gloriosi & impassibilis Christi corporis sub specie panis. Argumentis autem ex sacra scriptura nihil quod doctrinam clarissimam Catholicorum infirmet allegare aduersarij possunt.

Nam

Nam quod dicunt Eucharistiam esse sacramentum iustum celebrari in memoriam Domini atque adeo esse signum corporis eius, fatemur totum. Negamus tamen esse solum signum. Est enim Eucharistia instituta, à Domino non solum vt sacramentum, sed etiam vt sacrificium, imo etiam vt testamentum. Sacrificium autem nouæ legis non debet consistere in sola vmbra & figura mortis Domini, sed in veritate ipsa, vt distinguatur à sacrificijs legis tum naturæ tum Mosaicæ. Testamenta quoque nulla ratione debent explicari per metonymiã aut metaphoram. alioquin enim omnis testatorũ liberalitas poterit interverti, vt pro rebus legatis dentur solè rerum imagines vel voces. Porro patet Christum in Eucharistiæ institutione præcipuam habuisse rationem testamenti & sacrificij, & commemorationis sui tantum secundario & quasi per accidens meminisse. De sacrificio patet ex ipsa consecratione, quæ erat positio corporis & sanguinis separatim, id est, occisio seu immolatio ipsius Christi. De testamento patet ex institutione calicis vbi dixit: *Hic est calix noui testamenti in meo sanguine*, vel: *Hic est sanguis meus noui testamenti*. vbi testamenti nomen nullus Euangelistarum nec Apostolus Paulus omisit. De commemoratione autem Matthæus & Marcus omnino tacent, Lucas meminit eius solum in consecratione cor-

poris, Paulus quidem etiam in vel post consecrationem calicis sed sub conditione sumptionis, commemorationē annexam esse significat, nimirum. *Hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.* Ut quasi dixerit Dominus: Ego iam do vobis potestatem me offerendi & mihi nouo testamento vos ipsos associandi; Hoc ergo beneficium quotiescunque percipietis grati estote memoriam seruantes tam stupendæ largitatis meæ. Deinde quod aliqui obijciant hoc sacrificium derogare sacrificio cruento crucis, quasi illud non fuisset sufficiens pro delendis peccatis nostris refutatur clarè ex necessitate, quæ (non obstante sufficienti satisfactione crucis Christi) nihilominus nobis incumbit, orandi Deum pro peccatis nostris, vt dicamus quotidie imo absque intermissione: *dimitte nobis debita nostra.* Si enim liceat & nobis & alijs pro remissione nostrorum peccatorum intercedere, hoc est orationes & vota offerre, cur non licebit etiam eundem Christum in cruce pro nobis immolatum quotidie Patri mortuum præsentare? præsertim cum & ipse in cælo vultui Dei appareat, pro nobis interpellans, & manens Pontifex in æternū Hebr. 7. & 9. Nec enim alia est oblatio crucis & alia qua se Christus nunc tanquam *agnū qui occisus est patri in cælo* præsentat, nisi quoad accidentales circumstantias: Sic nec alia est aut repetita occi-

fio Christi quæ fit in sacrificio mystico, se-  
 Christus à Iudæis sub Pontio Pilato occisus  
 ponitur in altari ante conspectum Patris  
 mortuus pro peccatis nostris, modo tamen  
 alio, scilicet mystico, id est, sub speciebus pa-  
 nis & vini, qui modus etiam patitur vt reuer-  
 à parte rei & in corpore sit sanguis, & sanguis  
 non sine corpore. Potest enim Deus sicut ve-  
 num diuersis locis sacramentaliter ponere, ita  
 etiam ab aliquo separare & nihilominus ei  
 vnitum relinquere. Quare Christus in sacrifi-  
 cio vi quidem consecrationis *constituitur* in altari  
 vt mortuus, re tamen ipsa manet viuus & to-  
 tus sub vtraque specie. Ex his quoque facili-  
 est solutio dubij, quod moueri potest ex Epi-  
 stola ad Hebr. vbi Apostolus ex quotidiana  
 repetitione sacrificiorum veteris legis con-  
 cludit ea fuisse inefficacia, additque Christum  
 vnica oblatione mundasse omnes sanctifica-  
 tos in æternum. Vnde videretur sequi etiam  
 sacrificium missæ esse inefficax cum repetatur  
 quotidie. Diximus enim hoc sacrificium non  
 esse secundum rem oblatam nec secundum  
 essentialem offerendi actum, diuersum ita  
 sacrificio crucis, sed solum secundum modum  
 offerendi accidentalem, sicut Christus per  
 petuò in cælo idem sacrificium diuerso te-  
 men modo offert. Ex hoc autem modo mis-  
 sæ sacrificium vocatur *Applicatorium*, non au-  
 tem *constitutum* pretij redemptionis nostræ  
 Apo-

Apostolus autem contra Iudæos tantum intendit probare illos non habere tam perfectum vllum sacrificium quod vi propria possit dare Deo pretium redemptionis totius mundi & arguit ex eo quod Deus sæpe testatus sit eorum sacrificia sibi non placere, sed aliud successurum vnicum, sibi gratissimum, cuius offerens successores nullos habiturus maneat sacerdos in æternum, nec tamen opus habeat idem sacrificium vnquam repetere, sed beneficio vnice oblationis possit omnes accedentes sanctificare, id est, redemptionis pretium ijs applicare. Non autem dicit Apostolus hanc applicationem non posse sæpius repeti, nec disputat ibi quonam medio applicatio ista possit aut debeat fieri. Sicut ergo secundum aduersarios nostros potest nobis hoc vnicum crucis sacrificium quotidianis fidei actibus sæpius applicari, ita nihil impedit nec hic Apostolus negat hanc applicationem sæpius fieri per idem sacrificium diuerso tantum modo patri præsentatum. Ex eo verò quod hæc præsentatio pro pretij statuti applicatione frequenter repetatur, bene inferatur & verum est, præsentatione huiusmodi vnica non applicari toti mundo totum redemptionis pretium.

Hæc itaque præcipua aduersariorum argumenta cum tam congrue secundum rationem & scripturam sacram dissolui possint, patet

nō habere illos vrgentes causas ob quas con-  
 fugiendum sit ad sensum metaphoricum in  
 cænæ dominicæ tam clara institutione. Quas  
 habent præterea curiosas argutias circa signi-  
 ficationem vel veritatem singularum parti-  
 cularum verborum consecrationis, prolixam  
 iam dudum in scholis discussæ sunt & secun-  
 dum naturalem etiam intelligentiam solute,  
 vt ex scriptis Theologorum nostrorum vide-  
 re quilibet potest. Manet ergo pro nobis ip-  
 sa clara sacra scripturæ quatuor & pluribus  
 locis pronunciata sententia. In quibus & hoc  
 notandum, quod B. Lucas versu 20. in insti-  
 tutione calicis ita Dominum dixisse scribat  
 τὸ το ποτήριον, ἢ καὶ τὴ διαθήκην ἐν τῷ αἵματι μου  
 ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id est: *Hoc poculum (eli-  
 nouum testamentum in meo sanguine, quod pro vo-  
 bis effunditur.* Inde enim manifestè conuincit-  
 tur in poculo fuisse sanguinem Domini & sa-  
 lutis nostræ pretium, non enim potest san-  
 guinis poculum effundi, si sanguinem non  
 contineat. Quis enim non palpet nimis vo-  
 lentiam esse torturam, poculum dicere effu-  
 di pro nobis, quia illud quod est in poculo  
 tantum figura eius quod pro nobis effunditur  
 & hoc præsertim in legatione testamenti  
 Nam eodem modo & verius potuisset Chri-  
 stus de effuso agni paschalis sanguine ante in-  
 stitutionem sui testamenti dixisse Apostolo  
*ecce iste est sanguis qui pro vobis effunditur,* & ita  
 verum

verum esset dicere, nos redemptos esse sanguine hircorum: quod enim pro nobis effusum est, eo sumus redempti. Dicant hoc de se, si velint, Sacramentarij. Nos interim dicemus cum Apostolo Heb. 10. 4. *impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.*

De communione sub vtraque specie ita tripudiant aduersarij, vt putent se iam nos de contumacia conuicisse, & hoc ex eo quia Dominus dixit Apostolis: *Bibite ex hoc omnes.* Interea ipsi maiori & quod certissimam causat animarum perniciem, sacrilegio, non curant id quod dixit Dominus Apostolis Matth. vlt. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine, &c.* Docent siquidem plurimi eorum cum primis suis deformatioribus, baptismum non esse predestinatis vel fidelium filijs ad salutem necessarium, & si qui sint qui in eo dissentiant à cæteris tolerabilem errorem æstimant, vt supra parte 3. ca. 4. ex Molinæo vidimus. Nunquid Christus omnes gentes baptizari præcipit? nunquid baptismus est *lauacrum regenerationis & renouationis?* nunquid aliquis *potest introire in regnum Dei, nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu?* Tantam autem calicis Eucharistici necessitatem probare ex scriptura ipsi nõ possunt, præsertim si caput 6. Ioan. (vt faciunt) de spiritali manducatione corporis & sanguinis Domini intelligant. Vt autem concedamus ipsis



per verba illa, *bibite ex hoc omnes*, dari Aposto-  
 lis præceptum, vt præbeant etiam omnibus fi-  
 delibus calicem Domini, Numquid etiam, Act.  
 15. 18. Apostoli omnes ita scribunt: *Visum est  
 spiritui S. & nobis nihil vltra imponere vobis oneru-  
 quam hæc necessaria, vt abstinere ab immu-  
 latis simulacrorum, & sanguine & suffocato?* Si  
 Spiritus S. necessarium iudicauit vt fideles ab  
 animalium sanguine & suffocatis volucibus  
 & feris abstineant, cuiusnam licentia nostri  
 aduersarij & tota Ecclesia nunc ab ijs non ab-  
 stinent? Numquid quia dantur quædam præ-  
 cepta, quæ ob particulares quasdam causas la-  
 ta, vbi vtilia esse desinunt, Ecclesiæ iudicio  
 antiquari possunt? Sic, fuerit in primitiua Ec-  
 clesia vtile vt fidelibus calix distribueretur,  
 Nunc certe, si quis æquo iudicio re diiudicet  
 magis censebit esse inconueniens & periculo-  
 sum quàm proficuum. Maior enim diuini spi-  
 ritus gratia non datur communiõne vtrius-  
 que quàm vnius speciei, nec minus totus est  
 Christus sub vna quàm sub vtraque specie. Cur  
 ergo præcepti huius dispensatio non cense-  
 bur Ecclesiæ iudicio subiacerere?

Hæc sunt præcipua ob quæ indies Roma-  
 mati plerique non cessant in Romanam Ec-  
 clesiam tanquam rabidi canes latrare, fremere  
 & blasphemare; Ob hæc fundamenta Chris-  
 tianæ religionis per Pontificem eiusque stu-  
 pidos adultores contumaciter & cum pro-  
 pria

priæ cōscientiæ condēnatione esse *euerfa* &c.  
 Hæc sūt ob quæ Antichristi regnū oppugnari  
 & exterminari toto orbe fūditus debeat, Hu-  
 ius regni reliquias qualdā in cōfœderatis Bel-  
 gij prouincijs adhuc relinquere grauissimum  
 esse omnium peccatorū, de hoc peccato Or-  
 dines libere admonendos, excitandos eorum  
 animos ad maiorem Zelum diuini honoris  
 propagandi. Ita feruet pacificus ille Cleopas  
 Irenæi Philaletij ( *de quo l. parte Anno 1617.* )  
 optās vt Ministri Reformati oēs audeāt liberè  
 negare orationes suas pro Magistratu Deo of-  
 ferre, donec Romanam bestiam Magistratus  
 è prouincijs fūditus exterminauerit. Videtur  
 hic homo de suis Dominis hanc habere opi-  
 nionem, quasi illi, tanquam pueri, dijudicare  
 non possint vnde tantus in ministris suis fer-  
 uor originem sumat. Interim nos pro ijs qui  
 ratione vti se dignum existimant, latratibus i-  
 stis contemptis, hoc argumento caput istud  
 concludimus: ] *Romana Ecclesia nullius falsa do-  
 ctрина ex sacra scriptura efficaciter conuinci potest  
 ab aduersarijs, ergo nisi ad sacram scripturam ac-  
 cedat auctoritas iudicis, qui cum auctoritate ve-  
 rum sensum proponat, ita vt partes litigantes eius  
 explicationi consentire teneantur, nulla con-  
 trouersia circa fidem finiri vnquam possunt.*  
 Consequentia fundatur in eo, quod omnes  
 hæretici semper clamitare soleant, Ecclesiam  
 Romanam scripturam prorsus contemnere,

salutis fundamentum euertisse, à Christo & salute longissimè aberrare. Si enim hæc ipsi verè vt dicunt sentiunt, & tamen in disputationum congressu adeo Catholici suam doctrinam ex sacris literis tueri probabiliter, vt à nos fecimus, possint, quæ nam alia secta vquam poterit efficaciter erroris cõuincere? Frustranea est ergo omnis disputatio, inanis omnis collatio, nisi iudex tandem post prudentem causæ discussionem, determinatione sua litibus finem imponat. Hoc iudice quia destituti sunt omnes quotquot ab Apostolica cathedræ petra se separarunt sectarij, sibi metipsis Magistri & discipuli, pastores & oues facti, fieri non potest vt ad longum tempus in fidei vnitatem vsquam terrarum conueniant. Idem enim ipsis in supernaturalibus diuinæ sapientiæ occultis semitis perscrutandis necessarium est euenire, quod multis in vastissima sylua per inuia & deuia sine duce oberrantibus contingere, & ratione & experientia testibus comprobatur; vt scilicet quisque quam casu conspexerit semitam, quantumuis deuiam, latæ suæque fortunæ gratulans arripiat, eo pronus ouas socios vt quâto cyus cõuolēt prolocet, viâque nõdum satis lustratâ immoderatis encomijs imprudenter commendet & celebret. Interim quidam sodalium fortuna simili gaudentes contrarijs clamoribus ad se potius vt omnes festino cursu accelerent, miser-

feros

feros non segnius adhortantur. Tum primò  
*scinditur incertum studia in contraria vulgus.*  
 Deinceps verò vbi temerarijs istis prætori-  
 bus temerè creduli per obscuras orbitas co-  
 mites sese nonnulli coniunxerint, displicere  
 paulatim nunc his nunc illis & suspecta esse  
 non trita satis itineris incipit obliquitas: cir-  
 cuinquaue girantur oculi; studiose ac soli-  
 cite perquiritur, num fortassis planior alicubi  
 ac directior via possit vel à longe reperiri,  
 quæ si iterum diuersa diuersis appareat, mox  
 denuo per nouum schisma vetus quidem er-  
 ror à quibusdam deseritur, nouus autem fru-  
 ctu non dissimili affectatur. Ita cum Luthero  
 eiusque sectatoribus esse factum, ipse dum  
 adhuc in viuis esset, est expertus, & in varijs  
 quæ indies ex sectis nouæ cumulantur sectæ;  
 plus quam manifesta nos ipsi docemur expe-  
 rientia.

Stat ergo diuina per scripturam authorita-  
 te fundata, ratione naturali comprobata, &  
 experientia luce clariori confirmata conclusi-  
 onis nostræ veritas; *vnitatem doctrina in con-  
 gregatione nulla seruari posse, vbi Romani Pontifi-  
 cis pastoralis auctoritas viola. ur*